

IX.

Joh. Colsmann

Prodromus Descriptionis Gratiolae,

fistens

Species a D. König detectas *).

Cum pro stipendio, quo fruor, differendum mihi esset, in animo erat monographiam quarundam edere plantarum. Gratiolam aliis praetuli generibus, cum ob evidentem ejus virtutem immerito a Medicis insuper habitam; tum maxime, quia in herbario celeberrimi Prof. VAHL reperiuntur complures hujus generis species a nemine antea divulgatae, quas describendi munificentia inclutissimi viri mihi libertatem concessit.

Secundum Systema Vegetabilium pertinet Gratiola ad Diandriam Monogyniam, et ibi inter Diantheram et Schwenkiam locum obtinuit. In editione XIVta, quam curavit Murray, sex sequentes enumerantur species, *officinalis*, qua ad constituendum characterem generis inprimis usus est Linnaeus; *Munieria*, *rotundifolia*, *hyssopoides*, *virginica* et *peruviana*. Retzius *Observationes* suas nuper editas quatuor praeterea aliis exornavit, quae in fasciculo LVto dicuntur, *veronicifolia*, *grandiflora*, *oppositifolia* et *lobelioides*. E novis denique speciebus, quae in indicata reperiuntur plantarum collectione, septem quas indagavit Dominus König, infra delineatae sequuntur.

Linnaeo quidem dispositio Gratiolae, ipsi vero jam patribus denominatio debetur, quae e *gratia medicinali* contorta est; significatione vocis ab illo tamen sic mutata, ut cum antea unica tantummodo species et quidem europaea *Gratiola* nominaretur, nunc omnium specierum cognomen sive nomen genericum efficiat. Patet exinde plurimos Phytologos non potuisse plantam tam diu cognitam et efficacissimam silentio transmittere. Talis vero ejusmodi catervae autorum collectio, qualis praesertim ad historiam *officinalis* quodammodo enucleandam sufficeret, hactenus non ex voto mihi successit; figuris quoque aeneis specierum non antea delineatarum nondum summam sculptor imposuit manum; quare

*) Pro stipendio colleg. med. scientiae botan. peritor. examini oblatus Hafn. 1793. 8. pgg. 16.

quare partem earum quas absolvi descriptionum, nunc jam disputaturus, promere cogor, reliquarum vero specierum delineationem, nec non characterem genericum habitualementque, adjectis figuris, sequenti mea dissertatione absolvam.

Species Gratiolae a D. König in itinere orientali collectae.

PUNCTATA, foliis lanceolatis, serratis, subtus punctatis, floribus sessilibus.

E Java. A Königio non inventa.

Caulis herbaceus, palmaris et ultra, simplex, erectus, tetragonus, articulatus: articulis inferioribus vix unguicularibus, foliatus, laevis, glaber uti tota planta.

Folia opposita, erecto-patentia, femiamplexicaulia, unguicularia, superiora remotiora, argute serrata, obtusiuscula, obscure nervosa, avenia, plana, utrinque punctis numerosis adpersa.

Flores axillares, oppositi, sessiles, solitarii, erecti.

Bractae duae ad basin singuli calycis.

Perianthium profunde 5-partitum: laciniis lanceolatis, attenuatis.

Corolla ut in peruviana, modo dimidio minor.

TENUIFOLIA. G. foliis linearibus, extrorsum utrinque unidentatis: pedunculis axillaribus.

Habitat in graminosis scatuginosisque Zeylone.

Caulis herbaceus, erectus, filiformis, digitalis vel ultra, 4-gonus, foliatus, striatus, glaber, articulatus: articuli pollicares; subramosus: rami alterni, caule altiores.

Folia opposita, sessilia, erecto-patentia, longitudine internodiorum, superiora breviora, linearia, parum supra medium utrinque denticulo obscuro, obtusa, nuda, avenia.

Pedunculi axillares, solitarii, alterni, patentes, folio longiores, uniflori, semiunguiculares, filiformes.

Perianthium profunde 5-partitum, pedunculo duplo brevius: laciniis linearibus, acutis, aequalibus.

Capsula linearis, teretiuscula, acuta, 2-valvis, 2-locularis, longitudine pedunculorum.

VERBENAFFOLIA. *G.* caule ramoso, subdichotomo; foliis lanceolatis integerrimis, floribus racemosis.

Habitat in India orientali.

Radix fibrosa.

Caulis herbaceus, pedalis, erectus, 4-gonus, foliatus, striatus, glaber uti tota planta, articulatus, articulis pollicaribus, terminatur ramis duobus vel tribus, semel vel bis bifidis floriferis, rami inferiores axillares, breviores, bifidi.

Folia opposita, semiamplexicaulia, patentia, bipollicaria, basi margine tenuissimo per caulem decurrentia, lanceolata, integerrima, acuta, glabra, sub-5-nervia, avenia, laevissima.

Racemus simplex.

Pedunculus ex dichotomia et apice ramorum, 2 f. 4-pollicaris.

Pedicelli oppositi, solitarii, patentes, semiungiculares, filiformes, fructiferi deflecti, folium setaceum breve sub singulo pedicello.

Perianthium profunde 5-fidum, aequale: foliola subulata, pedunculo duplo breviora.

Capsula teres, linearis, acuta, bivalvis, bilocularis, calyce duplo longior.

MARGINATA. *G.* foliis oblongis, argute ferratis, cartilagineo-marginatis; floribus racemosis; caulibus repentibus.

Habitat in India orientali.

Radix ramosa.

Caulis herbacei, palmares, repentis, tetragoni, foliati, glabri, uti tota planta, subramosi: ramis structura caulium, alternis.

Folia opposita, patentia, semiamplexicaulia, unguicularia vel minora, inferiora extrorsum sensim parum latiora, superiora oblonga, argute ferrata: ferraturis margine albido, cartilagineo, terminali majori; acuta, rigidiuscula, glabra, enervia, avenia, plana.

Racemus simplex.

Pedunculi primum terminales, cum ramo opposito ulterius excrecentes, demum axillares, bipollicares.

Pedicelli circiter 7, oppositi, patentes, vix semiungiculares, basi utrinque folium lineare longitudine pedicell.

Perianthium profunde 5-fidum, laciniis lineari-lanceolatis, apice mucrone albo cartilagineo, corolla brevioribus, pedicello parum longioribus.

Capsula subulata, calyce duplo longior.

Valde affinis veronicifoliae, margine vero cartilagineo gaudent specimina plura ex India allata, minime vero in altero.

RUELLOIDES. G. foliis ovalibus, petiolatis, argute serratis: floribus racemosis. Habitat in Java et India orientali.

Caules herbacei, basi repentes, palmares et ultra, tetragoni, foliati, striati, subramosi: rami structura caulis, alterni.

Folia opposita, patentia, petiolata, superiora ovalia, pollicaria; inferiora saepe triplo minora, subrotunda: omnia argute serrata, acuta, nuda, plana, oblique nervosa, vix venosa, basi per petiolum paulum decurrentia.

Petiolus linearis, superne in folium dilatatus, folio duplo brevior, semiamplexicaulis, glaber.

Racemus simplex.

Pedunculi primum terminales, demum axillares cum ramo opposito ex altera axilla, 3-4-pollicares, solitarii, erectiusculi, 7-9-flori.

Pedicelli oppositi, patentes, semiungiculares; folium ad basin singuli, lineare, apice patulum, pedicelli fere longitudine.

Perianthium 5-partitum, longitudine pedicellorum: laciniis lineari-lanceolatis, acutis, aequalibus.

Capsula linearis, teretiuscula, acuta, 2-valvis, 2-locularis, calyce duplo longior.

A reliquis serraturis copiosioribus dignoscitur.

CILIATA. G. foliis lanceolatis, setaceo-serratis, floribus racemosis.

E Java. Königius non invenit.

Caulis herbaceus, spithameus, tetragonus, foliatus, striatus, glaber, ramosus: rami structura caulis, axillares, alterni, erecti, caule breviores.

Folia opposita, erecto-patentia, sessilia, unguicularia, lanceolata, argute serrata, serraturis spinula setacea rigidiuscula terminatis; acuta, glabra, enervia, avenia, remota, plana.

Racemus simplex, terminalis, interdum inter ramum et caulem.

Pedicelli oppositi, patentes, semiungiculares, uniflori, remoti, filiformes; folium setaceum ad basin singuli, pedicello brevius.

Perianthium 5-partitum, longitudine pedicelli, laciniis subulatis, unica parum longior.

Capsula angustior quam in reliquis, linearis, pedicello longior, 2-valvis, 2-locularis.

Cor.

CORDIFOLIA. *G. foliis cordato-ovatis, petiolatis, ferratis: pedunculis axillaribus unifloris*

Habitat in graminosis humidiusculis Zeylone.

Caules herbacei, pedales vel sesquipedales, simplicissimi, articulati, articulis bipullicaribus, e linea utrinque a basi petioli decurrente tetragoni, debiles, crassitie vix fili emporetici, foliati, striati, glabri uti tota planta.

Folia opposita, patentia, breviter petiolata, suprema subsessilia; inferiora remotiora, unguicularia, obtusa; superiora parum majora, acuta; ovato cordata, obsolete ferrata, oblique obscure nervosa, plana.

Petiolus linearis, brevissimus, patens.

Pedunculi axillares, alterni, solitarii, filiformes, fructiferi, folio duplo longiores, declinati.

Perianthium profunde 5-partitum: laciniis lineari-lanceolatis, corolla brevioribus, unica reliquis paululum major.

Corolla unguicularis nivea, faux lutea.

Capfula lineari-oblonga, versus apicem attenuata, stylo persistente mucronata.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv für die Botanik](#)

Jahr/Year: 1801

Band/Volume: [2](#)

Autor(en)/Author(s): Colsmann Joh.

Artikel/Article: [Joh. Colsmann Prodromus Defcriptionis Gratiolae, fiftens Species a D. König detectas 240-244](#)